

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XLVII. De tribus Ave Maria dicendis, per quae possis gloriosam
virginem Mariam habere presentem in fine vitae tuae.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

CAPUT XLVII.

DE TRIBUS *Ave Maria* DICENDIS, PER QUÆ POSSIS GLORIOSAM
VIRGINEM MARIAM HABERE PRÆSENTEM IN FINE VITÆ TUÆ ¹.

DUM gloriosam Virginem Mariam oraret, ut in hora mortis suæ sibi adesse dignaretur, respondit: « Hoc utique faciam: sed et tu quotidie tria *Ave Maria* mihi legas. Ad primum, ora ut sicut Deus Pater secundum omnipotentiam suæ magnificentiam animam meam, sicut in throno, dignissimo sublimavit honore, ut sim post ipsum potentissima in cælo et in terra, adsim tibi in hora mortis, te confortando, et expellendo a te omnem contrariam potestatem. Ad secundum, ora ut, sicut Filius Dei secundum suæ inscrutabilis sapientiæ prævalentiam, scientia et intellectu me artificiose decoravit, et totam replevit, ut supra omnes Sanctos majori cognitione fruar beatissima Trinitate, et tanta me claritate perlustravit, ut velut sol radians in virtute totum cælum illuminem, in hora mortis animam tuam lumine fidei et cognitionis perfundam, ne fides tua ignorantia aut aliquo errore tentetur. Ad tertium, ora ut, sicut Spiritus Sanctus suavitatem sui amoris plene mihi infudit, et tam suavissimam et mitissimam effecit, ut post Deum dulcissima et benignissima sim, ita adsim tibi in hora mortis, infundendo animæ tuæ suavitatem divini amoris qui in tantum prævaleat in te, ut omnis pœna et mortis amaritudo, ex amore tibi sit persuavis. »

Quo pacto
B. Maria in
nostro exitu
potentiam,
sapientiam,
et benignita-
tem
explicabit.

1. Cf. *Legatus* Lib. III. c. 19.

EXPLICIT PARS PRIMA.

... in ...

... in ...

... in ...

... in ...

... in ...